

Wg. 40.

DE
**FVNDAMENTO RIGORIS
CAMBIALIS.**

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Q V A M

AVSPICIIS REGIIS

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

DIE XIV. MARTII MDCCXCV

DEFENDET

NICOLAVS HARTWIGIVS PETZOLDT

BERGEDORFIENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS BARMEIERIANIS.

HANDBAUMEINTO RICORIS
CAMBRIALIS

DISECTATIO IN VAGABRIS

6. MAM

VAGABUNDUS VAGABIS

VAGABUNDUS VAGABUNDUS VAGABUNDUS

ACCESSIONE GESSIOVIA VAGABUNDUS

TRI-SUMS IN VAGABUNDUS HONORABIS

THE OBLITERATION

DE XIU MARTII MCCXCA

NICOLAVAS HUNTINGIAS TESTAMENT

THE COMPOSITION

GOTTININGAE

TUTIS BIRMBURGIANIS

L A T I N A P A R T I A B U S
L I B E R A E

S. R. I.

R E I P U B L I C A E H A M B U R G E N S I S

S E N A T V I

S P L E N D I D I S S I M O E T A M P L I S S I M O

V I R I S

M A G N I F I C I S P E R I L L V S T R I B V S

C O N S V L T I S S I M I S E X C E L L E N T I S S I M I S

PATRIAEC PATRIBVS

FAVTORIBVS SVIS INDVLGENTISSIMIS

HANC

TENVEM SCRIPTIONEM

PIA DEVOTA QVE MENTE

OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

ARGVMENTVM

- I. Monentur quaedam vniuerse ad rem preeparandam (Cap. I.).
 - A. Historia argumenti. — Scriptionis consilium et ratio (§. I.).
 - B. Quid sit, fundamentum quaerere instituti alicuius positiu*ri* iuris (§. II.)?
 - C. Quaenam, rite istis positis, inde sequantur consilia et cautions (§. III.)?

II. In examen vocantur aliorum sententiae (Cap. II.).

- A. De sententia cl. Büschii, quae
 1. Declaratur (§. IV.).
 2. In dubium vocatur; et quidem
 - a. Ex eo, quod fundamentum, quale cl. Büschivs ponit, nimium ambitum habeat, et nimis laxum vagumque sit (§. V.).

- b. Ex eo, quod totum fere ex contractibus emtionis venditionis et depositionis pendeat (§. VI.).
c. Ex eo, quod nimis breve et angustum sit (§. VII.).
3. Vindicatur ab obiectione aliqua ill. RVNDII (§. VIII.).
- B. De sententia ill. RVNDII, quae
1. Declaratur (§. IX.).
 2. In nonnullis in dubium vocatur (§. X.).
- C. De sententia ANONYMI cuiusdam (§. XI.).

III. Nouam tentandi viam periculum sit (Cap. III.).

Res reuocatur ad varios modos et tempora, quibus institutum cambiale formatum est (§. XII. XIII. XIV.).

CAPUT

CAPVT I.

Monentur quaedam vniuersae ad rem praeparandam.

§. I.

Sub iudice adhuc lis est de genuino fundamento rigoris cambialis. Quae cl. BüSCHIVS, qui primus, vt equidem scio, hoc argumentum tractauit, pro adstruenda atque exornanda sua opinione in medium tulit a) acute quidem dicta ill. RVNDIO videntur b), eidem tamen non satis faciunt. Hic potius nouam
fuper-

a) In opusculo; *de genuino fundamento iuris cambialis*, adiecta sym-
bola ad ipsius historiam. Insertum est bibliothecae ad mercaturam spe-
ciali, editae a BüSCHIO et EBELINGIO, Vol. I, p. 377. sqq.

b) In *principiis iuris germanici communis*, §. 229.

A

superiori induxit opinionem, auctoris nomine dignam, harumque rerum peritis admodum probatam. Ab utroque autem recedit ANONYMVS quidam in bibliotheca critica berolinensi, inscripta: *Allgemeine deutsche Bibliothek c.*

Quid stet quidue lapsum sit, aliorum esse iudicii non nescio. Is tamen sum, qui turpe sibi putet, in huius illiusue partes coeca superstitione ferri. Imo ipse quidem impar certamini, esse tamen iam aliquid arbitror, in arena discurrere, et ad pentathlorum pedes ludere.

Cur itaque, si quid in perlustrandis et inter se conferendis laudatorum virorum opinionibus tanquam non satis firmatum vel non recte positum mihi displicerit, publice dicere dubitem? et si quid habeam, quod cum fructu substitui posse videatur, cur dissimulem?

Auctoritatem nominum quidem suspicio venerisque religiose. Inde tamen ut animi deprimantur tan-

tum abest, vt potius magis impellantur et incitentur. Nam quo maiorem a celebritate auctorum commendationem res aliqua habet, eo dignior est, qua iuuenis iudicium acuat, et in qua nunc refutanda nunc corroboranda vires exerceat.

Nec video, quid mihi propter tale consilium ab aequis et liberalibus arbitris metuendum sit, dummodo illud captum esse non ambitionis et ostentationis, sed meditationis et exercitationis causa secum considerent.

Haec vt letores reputent, eos etiam atque etiam rogatos velim, ne hanc scriptionem in malam partem interpretentur, et ne ea, quae ingenuitatis animique integritatis sunt, ad insolentiam vel etiam impudentiam referant.

§. II.

Fundamentum alicuius legis vel instituti iuridici quaerere, idem est ac inuestigare, vnde profectum sit, quid natura sua polleat, quid, interna ipsius vis spectata, significet. Quia in re qui cum laude versari

A 2

velit,

velit, is ante omnia de eo recte statuat, quid ratione modi fundamenta inuestigandi intersit inter ea, quae positiva vocamus, et ea, quae ad philosophiam pertinent.

In his spectandum est, quid menti humanae conveniat, in illis, quid ab hominibus re vera cogitatum vel factum sit.

Inde etiam omnis disputatio de fundamento rigoris cambialis, tanquam de re, haurienda ex consiliis eorum, qui primi cambia celebrarunt, e fatis doctrinae, et e iuribus, quae ad eam formandam, partim ab ysu et consuetudine, partim a prudentia legum latorum profecta sunt, initium habere debet.

§. III.

Cauendum itaque nobis in illam disputationem descensuris videtur:

I. Ne nos ita geramus, ac si iura, de cambiis sancta, ex fundamento instituti cambialis originem habeant; ne itaque, dum posteriora, quae sunt priora, vel dum ima,

ima, quae summa sunt, facimus, imitemur vitas LÜNGERI nostri, in linea adscendente scriptas, vel eos, qui in saltationibus scenicis capite incedunt et unctionis pedibus coelum tuentur. Fundamentum potius ex iis petatur necesse est, quae circa cambium iuris fuisse vel esse reperiuntur. Illud ex his, non haec ex illo pendent. Cae, ne vices vertas! In quo cambium conuenit cum reliquis positivis institutis, siue iuridicis siue aliis, quae omnia uti notionem non a priori, sed ex iis ipsis momentis, quibus constituta sunt, habent, ita nec fieri potest, ut aliunde rationes et fundamenta sua habeant.

In commodum tironum ordinem quidem inuertere licet, ubi agitur de artificio, quo captui vel memoriae succurri queat, adhibendo, neutiquam vero tunc, ubi adhuc in ponendis ipsis doctrinae principiis versamur.

2. Ne coniecturis et suasionibus, quae probabilitate quadam, non autem testimoniis fide dignis nituntur, indulgamus, et ne admittamus ea, quae quidem meruissent ad institutum formandum adhiberi,

de quibus autem non constat, an eorum ratio re vera
habita sit.

3. Ne in re illustranda ab iis, quae positiva
funt, plane aberrantes, in alia atque alia, quae pru-
dentiae sunt, excurramus; vel, si quid hic illuc ratio-
nes prudentiae valuere, ne certe tempora miscean-
mus, et quae annis disiuncta sunt, re coniungamus.

Multa instituta priuati iuris non statim ab initio,
sed deinceps demum se ita exhibent, vt hoc vel illo
modo publice vtilia fiant. Tunc demum fieri solet,
vt legum latores eorum, antea sibi ipsis relictorum,
curam habeant, eademque certa prudentiae principia
sequendo promouere, suis consiliis accommodare, et
in ciuitatis salutem magis que vertere studeant.

Ita in primis res cecidere in cambiis, in quibus
ergo sedulo caueamus, ne eiusmodi principia, a pru-
dentia petita, vtpote quae serius ad rem augendam
vel amplificandam accesserunt, retro trahamus, et ne
sine vlo temporis discrimine cuncta ex cura salutis
publicae metiamur.

Si

Si dicendum quod res est, necesse videtur, vt, nisi vagus fieri velis, quae de fundamento quodam iuris disputantur, ea omnia ac singula ad vnum idemque tempus referantur, quia fundamenta cum institutis ipsis communes vicissitudines habere solent.

4. Ne consultius ducamus, videre, quomodo ad vnam causam omnia redigantur, quam quoniam modo singula quaevis in suos locos distribuantur.

5. Ne id agamus, vt ex instituto cambiali tale quid extorqueamus, quod iam ex iure communi romano vel canonico legitimam causam, cur debitor cambialis in custodiam ducendus sit, suppeditet; ne verbi causa rem eo iam consecutam putemus, vt via reperiatur, qua debitor cambialis, tanquam is, qui falso similis, vel qui fugae suspectus sit, demonstretur. Talis transitus ad ius commune frustra tentatur! Partim enim misere torqueri res solent, vt eo, quo velis, dirigantur, et vt ad consilium apta fiant; partim non intelligo, quid istius modi remissiones, fumum non lucem dantes, ad difficultates expediendas valent. Accedit, quod loci iuris communes ad argumentum

mentum tam singulare explicandum non sufficiant. Denique omnino nihil non vitandum est, quod speciem habet, ac si patria instituta e fontibus iuris peregrini deriuare velis.

6. Ne argutemur nodumque in scirpo quaeramus; in quo genere errare mihi videntur, qui, postquam rationes iuris cambialis copiose expositas audiuerre, satis imprudenter, ac si nihil adhuc actum esset, quaerunt: cur ista seueritas *soli* cambio propria sit? Hoc scilicet ex illo pendet et lucem accipit, ita ut qui ad vnum sufficienter respondit, ei ad alterum amplius non respondendum sit.

Idem esset, ac si, natura hypothecae diligenter iam demonstrata, quaerere velles: cur hypotheca sola tale ius reale, quale ex pignore descendit, creditori suppeditet?

CAPVT

CAPUT II.

In examen vocantur aliorum sententiae.

§. IV.

Cl. Büschivs rationem rigoris cambialis in eo ponit, quod, si remittens eum, ad quem a trasfante ablegatus est, frustra adierit, hic nihil plane praetexere possit, cur acceptam valutam absque villa mora refundere neget. Nomen trasstantis *emi* putat a remittente, quod simulac inane esse constet, in iritum cadere totum negotium, trasiantem autem tunc sine omni causa id, quod in oppositum euentum accepit, possidere, eumque ad promptissimam et paratissimam restitutionem pecuniae teneri.

Argumenti vis eo redit, vt trasfans, remittentis spem frustratus, quia nihil prorsus habeat, quo possessionem pecuniae amplius vel momento tueatur, carcerem detrectare nequeat. Itaque in remouendis omni-

B

bus

bus trassantis excusationibus noua opinionis suae admicula quaerens, addit haec:

1. Valutam trassanti neutiquam ex causa mutui dari ad vertendam eam in suos vius, eam potius, tanquam id, quod vicem emti cambii teneat, non nisi nomine alieno a trassante possideri; eam, instar *rei depositae*, fidei trassantis commissam, ideoque ita servandam esse, ut ad remittentem, simulac cambii spes differatur, vel plane eripiatur, intacta atque illibata statim redire possit.

2. Cum ex contractu emtionis venditionis nil nisi perfecto iam actio oriatur, magis adhuc subueniendum esse ei, qui, quod in nominis cambialis emtione per exsolutam valutam sit, pro sua parte contractum iam adimpleuit.

Ex quibus adparet:

1. Cl. BÜSCHIVM niti urgentissima necessitate, vel praestandi id, cuius nomine valuta data est, vel restituendi valutam ipsam.

2. Eum

2. Eum exinde, quod nec hoc nec illo modo remittenti satisiat, concludere ad tam seuerum et rigorosum iuris praesidium, quale positum est in apprehendendo debitore eoque in custodiam ducendo.

3. Eum demonstrationis et probationis causa ad naturam contractuum emtionis et depositionis confugere.

§. V.

Verum enim vero dubito, an ista, quae cl. Büschivs satis acute excogitauit, seuerius iudicium ferant. Quae contradici posse mihi videntur, si ad certa capita rediguntur, sunt fere haec:

1. Fundamentum, a cl. Büschio propinatum, iusto latius patet. Nam si ratio carceris lateret in possessione sine causa una cum obligatione restituendi, a parte trassantis, et implemento iam secuto cum iure repetendi, a parte remittentis, non video, cur in aliis quibuscumque negotiis, quoties alteruter contrahentium pro sua parte promissis satisfecit, non idem iuris sit? Fac Titium a Caio certas merces emisse, illum pretium exsoluisse, hunc vero in re tradenda

iniustas moras nectere, quis Caium trassanti, Titium vero remittenti similem esse negauerit? Illi iniuria retinent, hi summo iure repetunt, quae vel acceperunt vel dederunt sub conditione non adimpta. Nihil secius tamen vendor custodiae non dabitur, quod certo certius eueniret, si cambium esset, ex quo pecuniam deberet.

2. Quae cl. Büschivs vrget, suasoriam tantum vim habent, et ita comparata sunt, ut ad excusandum vel etiam commendandum rigorem cambialem, neutiquam vero ad eum fundandum adhiberi possint.

Demus, iniquum esse, possidere ea, quae sine causa possidemus. Non autem semper leges sequuntur aequitatem; et cur in cambiis tale quid accidere potuisse negemus? Fac tamen non accidisse, vnde rationem liquere putas, cur ex variis modis, quibus creditori ex cambio aequitatis nomine prospici poterat, poena carceris eligeretur?

3. Id

3. Id fundamentum haberi nequit, quod aliquid efficere *potuit*, ita ut res adhuc integra ei sit, qui ingenium exercere velit in aliis explorandis, quae itidem aliquid efficere *potuerunt*.

§. VI.

4. Multum in opinione cl. BÜSCHII eo reddit, ut in negotio cambiali emtio venditio lateat, quod vt necessarium sit, tantum abest, ut potius quaelibet alia causa debendi subesse possit.

Fac Titio legatos esse centum a Caio; hunc autem illo consentiente soluisse a Titio cambii via. Quis odoretur emtionem venditionem, nisi cui verbis ludere placeat? Is vero caueat, ut in vsu loquendi certe sibi constet, ut verbi gratia, si pro tertia parte centesimae usurae centum in mtuum dederit, rem ita exprimat, ac si *vendidisset* dictos nummos pro memorato foenore.

Pari modo innumerae aliae causae, sive nominatae sive innominatae, cambio subesse folent.

B 3

Ad

Ad has in primis pertinent eae, quibus negotiatio pecunaria, consistens in vario genere permutationum pecuniae, siue verae siue imaginariae, ansam dedit, et quae in formulas: do vt des, do vt facias et quae sunt reliquae, incidentur. Nihil enim facilius nihilque eius modi causis conuenientius erat, quam vt ad eas clausula cambialis vna cum omnibus ipsius praesidiis transferretur.

Quo sit, vt ea cambia celebratissima et frequen-
tissima sint, quae de causis innominatis agant.

5. Age vero concedamus cl. BÜSCHIO, subesse emtionem venditionem, ea tamen, quae inde pro sua sententia concludit, ipsi huius contractus naturae repugnant. Ex vna parte ille demonstrare laborat, valutam tanquam fidei trassantis commissam, et depositi instar in manu trassantis esse, ex altera emtionem venditionem immiscet, cum tamen haec contractus sit, vnde, si locum hic haberet, trassans ius, valutam in suos usus vertendi, nanciseretur. Similiter remittentem tanquam ludibrio habet. Nam ex vna parte id urget, vt remittens paratam valutam ad eam, causa

causa non secuta, recipiendam inueniat, ex altera parte eidem emtoris partes tribuit, ac si huic liceret, nummos iam dudum a venditore expensos vel dilapidatos ideo vindicare, quia merx non secuta sit.

6. Nec bene cl. BüSCHIVS contractus sibi tam contrarios, quales sunt emtio venditio et depositio, inter se coniunxit. Depositarius et vendor diverso plane iure pecuniam tenent. Nec itaque fieri potest, vt quidam ex vtraque causa simul et promiscue aliquid habeat, quod in trassante cl. BüSCHIVS statuit, quippe qui nunc ad causam depositi, nunc ad emtionem venditionem, prouti res ferebat, pro iubitu confugit.

7. Accedit, quod omnino illa ratio, rigorem iuris cambialis ex natura emtionis venditionis, vel depositionis hauriendi, non satis in tuto esse videatur, quia isti contractus in plerisque ex formula iuris romani per Germaniam definiuntur.

Peregrina iura ad patria instituta traducere semper periculosum est; maxime vero tunc, cum, vti
in

in nostro argumento, non tam de illustrandis nonnullis capitibus negotii alicuius iuris germanici agitur, quam de ipsius principiis funditus stabilendis et consti-
tuendis.

Obiectio: contractus emtionis et depositionis iuri romano non proprios, sed communes cum germanico esse; nec opus esse, vt, quae cl. Büschivs ab iis mutuatus sit, non nisi ad ius peregrinum referantur. Respondeo: emtionem vel depositionem *iuris communis* in Germania certe non dari, nisi ex iure romano; atqui, cum fundamentum rigoris cambialis e iure communis hauriendum sit, nullum alium contra-
etum venditionis vel depositionis hic in censum venire posse, nisi qui ex iure peregrino per Germaniam receptus sit.

§. VII.

8. Quemadmodum fundamentum cl.' Büschii, vti supra vidimus, non satis late patet, ita alio respectu nimia angustia laborat. Omnia enim in eo referuntur ad promtam et paratam valutae solutionem. Non itaque porrigi potest ad locos sequentes:

a. Si

Si non praesenti pecunia cambium, ut cl. Büschii verbo vtar, emtum, sed de valuta fides habita sit.

Obiicies: eodem redire, vtrum quis praesentem pecuniam accipiat, an de eo transigat, quod vice praesentis pecuniae sit.

Respondeo: vtrumque in multis quidem locis, verbi causa tunc, si de translatione dominii rei emtiae agitur, eandem vim habere, neutquam vero in iis, in quibus, vti cl. Büschivs statuit, in ipsa pecuniae detentione eiusque restituendae urgentissima obligatione cardo rei versatur; non itaque idem esse, quo modo trassanti satis factum sit, cum cl. Büschivs ipse sententiam suam in certo satis faciendi genere totam collocauerit.

Cl. Büschivs quidem ipse rationem dubitandi ex cambiis, praesenti valuta destitutis, repetit. Multa etiam subtiliter ad se expediendum disputauit, quae tamen neminem facile mouebunt, vti iam monuit ill. Ryndivs d).

d) Loco citato, §. 230.

b. Si

C

b. Si trassans cambium dat ad id delendum, quod remittenti debet, non ad nouum debitum contrahendum. Tunc remittens id, cuius restitutionem petit, re vera non exsoluit, nec ei proprie primo loco solutionis dantur, quae trassatus secundo pendere tenetur.

Ad hunc locum fundamentum cl. Büschii non quadrare, eo minus ferri potest, quo certius et exploratius videtur, multo prius cambia data esse ad debitum delendum, quam ad nouum contrahendum.

Obiecties: attendendum esse, quid breui manu et quasi per compendium fiat. Si Titius Caio centum ex mutuo debet, eorumque nomine cambium in solutum dat, perinde esse, ac si restituisset creditori centum ex mutuo, et, antiqua obligatione peremta, centum alios pro cambio valutae nomine recepisset.

Cui obiectioni eodem modo, quo superiori, respondendum est. Scilicet in re, vbi cl. Büschivs nihil non praesenti valutae tribuit, multum interest, vtrum cambii dati effectus sit, vt trassans paratam valutam

lutam accipiat, an vt loco paratae valutae ab obligatione liberetur.

c. Si acceptae valutae in cambio plane non mentio facta est, quod in cambiis traffatis saepissime accidit. Quod si enim cum cl. Büschio rationem rigoris cambialis in eo quaerimus, vt traffanti per valutam re vera satisfactum sit, nihil magis conueniret nihilque potius esset, quam vt eius rei testimonium in ipso cambio scribatur. Deficiente hoc testimonio, quid impediret, quo minus debitor ex cambio rigorem cambialem, ac si ipsius ratio cesseret vel certe nondum probata sit, declinet.

§. VIII.

Haec sunt quae cl. Büschio obstat evidenter. Aliam adhuc obiectionem in ill. RVNDII libro supra laudato reperire licet: scilicet, etiamsi ad traffantem opinio cl. Büschii optime quadret, eam tamen claudicare, cum non satis late pateat, vt ad acceptantem, indossantem, vel fideiussores cambiales transferri possit; eam ergo vel hac ratione insufficientem esse ad rem exhaustiendam.

C 2

An

An vero istud telum in cl. Büschivm recte torqueatur, dubito. Trassatus enim et fideiussores sunt personae succedaneae, in se transferri patientes talem obligationem, qualem trassans contraxit. Ratio itaque, quare trassans rigorem iuris sentire debeat, transit ad eos, a quibus soluere vult, vel ad eos, qui se debitores subsidiarios constituerunt. Ad utrumque, tam ad acceptationem trassati, quam ad declarationem fideiussorum, naturaliter pertinet id, quod in obligatione prima vel principali est. Trassans et fideiussores recipiunt integrum causam, eoque ipso, quae de trassante dici possunt, cur paratissimam solutionem praestare, vel sese custodiae sistere debeat, ea etiam de se ipsis valere voluerunt et consenserunt.

Quod ad indossantem attinet, eius ratio est separata. Aequiparandus est trassanti. Nec ergo video, quid impediat, quo minus ea omnia, quae cl. Büschivs refert ad trassantem solum, modo non per se erronea essent, eodem iure ad indossantem referri possint.

Con-

Coniuncta fata sunt indossantis et trassantis. Fundamentum cl. Büschir ratione illius staret, modo quoad hunc non laboretur.

§. IX.

Transeo ad opinionem ill. RVNDII (Cf. supra §. I.), ex qua ratio rigoris cambialis in duobus hisce principiis sita est:

I. Qui legitimo tempore non soluit, eum fugae suspicuum fieri, eumque ideo in custodiam ducendum esse.

Argumentatio, qua ill. RVNDIUS vtitur, haec est:
1. Ut promissis mercator stet, in hoc honorem ipsius quaerendum esse;

2. Mercatorem ergo non nisi summa necessitate coactum datam fidem, quia res tanti momenti, quanti honor sit, inde pendeat, violaturum;

3. Non itaque dubitandum esse, debitorem cambialem non nisi facultatum angustiis impeditum non soluturum, ita vt,

4. Si non soluat, tacite profiteatur, se non solvendo esse;

C 3

5. Qui

5. Qui hoc profiteatur, se fugae suspectum facere;
 6. Fugae suspectum autem iam ex iure communi in carcerem coniiciendum esse, inter omnes constare.

II. In contractibus, in quibus agatur de fide mercatorum, partes iam tacite in poenam carceris consensisse dicendum esse.

Series meditationis, qua ill. RVNDIVS alteram hanc thesin pro consilio suo ad rem adaptare studet, haec est:

1. Non interdictum esse, ad custodiam se obligare;
2. Tunc in primis credibile esse, partes de clausula carceris conuenisse, si de fide mercatoria agatur;
3. Imo, etiam si nihil expresse conuentum fuerit, istam clausulam, tanquam solenne fidei praesidium prae sumendum esse, donec probetur contrarium.

Vt lectores ipsi iudicare possint, an mentem auctoris attigerim, ipsissima verba, quibus usus est, transferibere iuuat:

Credit ist die Seele des Handels, und ohne ihn besteht auch keine kaufmännische Ehre. Die Erhaltung desselben fordert die strengste Erfüllung des gegebenen

gebenen Wortes. Wer sich nach Wechselrecht verbindlich macht, muss zur Verfallzeit sogleich zahlen, oder sein Credit, seine kaufmännische Ehre geht verloren. Es ist eben so viel, als ob er seine Insolvenz erklärte. Damit setzt sich der Kaufmann aber selbst dem Verdacht blos, dass er auf flüchtigem Fusse stehe. Den fugae suspectum in Verhaft zu nehmen, erlauben schon die gemeinen Rechte. Hierzu kommt aber noch das alte deutsche Recht, nach welchem sich ein jeder durch Verträge zum Gefängniß verpflichten könnte; welches bey solchen Contrachten, von welchen allezeit die Erhaltung des kaufmännischen Credits abhängt, nach einer sehr natürlichen Voraussetzung, oder stillschweigend scheint bewilligt zu seyn".

§. X.

Quae mihi dubitationes in perpendenda ill. RVNDII sententia subortae sint, paucissimis dicere licet. Ita certe non eueniet, vt verbosus fuisse in errore meo arguar.

1. Non tam in veritate quam probabilitate argumenta ill. RVNDII versantur. Quemadmodum hic,

hic, ut ad carceris poenam sibi viam paret, fugae suspicionem vrget, ita aliis forte eodem consilio transphantem tanquam impostorem vel falsarium repraesentabit, quasi pecuniam sibi concreditam fraudis animo amouerit e).

a. Accedit, quod ipsa argumentorum series non satis vincita sit. Inter singula membra precarius tantum, nec semper positio iure firmatus nexus intercedit, ita ut ab uno ad alterum satis tuto concludi nequeat. Nam, ut exemplis rem illustrem,

a. Rationes, cur debitor non soluat, aliae esse possunt praeter fortunarum angustias. Nec tuto a non praestita debiti solutione ducitur argumentum ad professionem, debitorem non soluendo esse.

b. Qui non soluendo esse praesumitur, is non ideo statim fugae suspectus in iure putatur.

e. Nec sequitur, ut, quae conuentione expressa locum habent, ea etiam, sola probilitate suadente, suppleri debeant, etiamsi nihil conuentum sit, ac si tacite adiecta essent, vel naturaliter rei inhaererent.

Cf. BüSCHIVS I. c. p. 397.

3. Re-

3. Restrictum est fundamentum, quale cl. RYNDIVS ponit, sua natura ad mercatores, nec itaque valet nisi de iis temporibus, quibus nondum praeter mercatores quisquam cambiis vtebatur. Dubito autem, an id pro fundamento recte habeatur, quod vix per quinquaginta annos a primordiis instituti locum habere potuit. Scilicet alius conditionis homines praeter mercatores non diu post inuentum illud institutum cambiis usos esse, ex historiis patet. Certe iam medio seculo decimo sexto illa vel a personis ecclesiasticis celebrata fuisse, testis est locus memorabilis ex statutis ordinis sancti Joannis hierosolymitani equestrис, diei XXIII. Iulii, anni CLXCLXXXIV, inscriptus: *de literis cambiis.* Ibi haec sanciuntur:

"Statuimus, quod vicecancellarius sub poena privationis officii non faciat literas assignationum vel cambiī pro fratribus aut secularibus personis, nisi prius de iisdem fuerit deliberatum per magistrum et concilium, et postquam factae fuerint, bulla communī plumbea munitantur, et in cancellaria registrantur.

D Quibus

Quibus solennitatibus deficientibus pro nullis habeantur" f).

4. Denique id, in quo ill. RVNDIVS fundatum situm putat, nimis late patet.

Quotidie honorem a mercatoribus violari videamus sine carceris poena. Mercator qui se pretium pro re emta soluturum certo die promisit, fidem autem fallit, is honoris sui iacturam facit aequa ac si cambio iusto momento non satis fecerit.

Deinde in omnibus omnino contractibus seruandis et implendis, perinde ac in cambiali, fides mercatorum spectatur, cum tamen non aequa rigor cambialis locum habeat.

Porro mercatores saepissime fugae suspecti sunt, qui tamen non in custodiam ducuntur.

Acce-

f) In Lünigii codice Italiae diplomatico, T. II. p. 1795, Idem locus, idiomate italico scriptus, exstat in statutis ordinis militaris sancti Stephani, anni CICLOLXII (Eod. T. I. p. 1223.).

Accedit, quod debitores ex aliis atque aliis negotiis non soluendo esse passim videamus sine libertatis personalis dispendio.

Denique si is, qui non soluit, tanquam talis, qui non soluendo est, praesumendus, ideoque ex hac sola praesumptione in carcerem coniiciendus est; quanto magis haec seueritas in eum adhiberi deberet, qui aperte et ingenuè declarat, se non soluendo esse; quod tamen ita se non habet.

5. Obstant etiam, ni fallor, quae supra de vnu locorum communium in eruendis rationibus tam singularis instituti, quale est cambiale, praemisi (p. 7).

§. XI.

Transeo iam ad sententiam Anonymi in bibliotheca critica, inscripta: *Allgemeine deutsche Bibliothek*, volumine CVII. p. 338 propositam, vbi incidenter in eo ratio rigoris cambialis quaeritur, quod creditor ex cambio, confidens, debitorem certo tempore soluturum, si hic praeter omnem expectationem non soluit, ludibrio habeatur et in qualescunque an-

gustias facile adducatur, ex quibus absque mora liberandus sit. Verba auctoris sunt haec: "Die Wirkung der Wechselfschulden beruhet wohl auf die Verlegenheit, worin derjenige, der eine Zahlung des Wechsels zu erwarten hat, durch die Nichterfüllung geräth, und welche daher eine schleunige Hülfe erfordert".

Anonymo respondere supersedeo, ne repetitione eorum, quae supra iam exposita sunt, lectoribus nauseam moueam.

CAPUT

CAPUT III.

Periculum fit, nouam tentandi viam.

§. XII.

Antiquissimis Germaniae temporibus morum integritate et fidei sanctitate pactorum securitati satis prospectum erat. A quo vero astutia et fraude, quae in se receperant maiores nostri, declinare didicerant, ad alia praesidia recurrendum erat. Monebat etiam iudiciorum administrandorum tumultuaria et turbulenta ratio. Lites machinationibus et excusationibus protrahebantur; actori innumerae vexationes mouebantur. Coronidis loco ius romanum in fora Germaniae introducebatur, vnde nouae ambages, nouae decipiendi viae, nouae actorem fatigandi artes initium habebant.

Tot tantisque malis occurrentum, aut de pactorum incolumitate desperandum erat.

D 3

Iam

Iam vero quia publice res negligebatur, priuatis de remediis cogitabatur.

Quilibet itaque salutem in pactis peculiariter adiectis quaerebat. Ad probandam obligationem, vel ad ipsius celeriorem certioremque executionem obtinendam arrhas dabant, solennitatibus negotii perfectiōnem celebrabant, mulctas conventionales adiiciebant. Nihil tam carum partibus erat, quin hic illuc in securitatem pacti pignoris loco daretur. Quin ne ipsi libertati quidem parcebant.

Quae hoc modo recepta erat adhuc sine lege in securitatem pactorum simplicium carceris poena, deinceps transferebatur ad pacta composita et ad obligations succedaneas, quales cessione, delegatione, assignatione, expromissione, et quae sunt reliqua huius generis negotia, in quibus nouae personae in locos priorum hoc vel illo modo succedunt, interueniunt. Et quidem poena carceris cum obligationibus succedaneis tacite comunicabatur. Nihil enim tam naturale est, quam ut verbi causa cessionario cum cedente ea-

nisi

C

dem

dem iura competant, eaedem contra exceptiones ob-
stent.

Ita, vt ad argumentum nostrum illa transferam,
assignatus (transfatus) si liberare volebat assignantem
(transfassantem) ab obligatione, cum assignatario (remit-
tente) contracta, iisdem cum assignatario (remittente)
conditionibus, quin ergo custodiae, si assignans (tra-
fans) ad eam sese obstrinxerat, se submittere debebat.
Assignatarius (remittens, vel indossatarius) neminem
debitoris principalis loco substitui patiebatur, nisi qui,
quod de custodia inter personas principales adiectum
esset, simul in se reciperet.

Iudices tuebantur, de quibus partes inter se
conuenerant.

Quae circa clausulam, de poena carceris ad-
iectam, ratione executionis et modi in iudicio proce-
dendi ex consuetudine et obseruantia iuris erant, ea
constituebant naturam pacti adiecti legalem, seu quae
alias vocantur essentialia et naturalia.

Ad istam naturam indicandam initio vox aliqua,
significatum legalem habens, deerat. Sensim vero vox
cam-

cambii ambigua esse definiebat, ita ut eius notio ac vis accuratius vnu definiretur et ad certa et perpetua naturalia et essentialia reuocaretur, vti ratione contractum iuris romani factum esse constat. Et ex eo inde tempore demum cambia etiam *in iure* existere coeperunt.

Iam cum natura pacti cambialis operosam disquisitionem de obligatione, cui adiectum est, eiusque causa debendi non ferat, quippe quia absque mora debitorem aut soluere, aut in custodiam migrare oporteat, factum est, vt omitti nomen obligationis principalis, et vt sub cambii voce quaelibet obligatio comprehendendi cooperit. Accessoria causa suppressit principalem, atque ita cum hac coaluit, vt illam primo intuitu per se subsistere posse iuraueris. In quo genere id in primis magni momenti fuit, quod cambia ipsa tanquam noua mercaturae materies sumerentur g).

Eate-

g) Negotiationis cambialis mentionem iam faciunt leges nouae reipublicae Genuensis, diei XVII. Martii, anni CICLOLXVI, vbi haec leguntur: "Nabiles, qui xci nummariae ac cambiorum negotiationi ope-

ram

Eatenus tota quaestio de fundamento rigoris cambialis ad consilia eorum, qui cambia celebrarunt, et ad natam ex iis consuetudinem referenda videtur.

Legum vero latores, vnu edocti, quanti pondoris sit ad commercia promouenda promptissima executio, non subsistebant in eo, vt, quae a contrahentibus in eo genere mutuo consensu in obligationem deducta, vel quae, expressa voluntate partium deficiente, per vsum et consuetudinem vim iuris subsidiarii adepta erant, tuerentur, sed ipsi sponte varia, quibus institutum adhuc magis saluti publicae adcommodaretur, addere, vel, quae ipsius instituti ratio postularet, supplere et in tutiori loco ponere coeperunt.

Eatenus quaestio, dum in salutis publicae rationes incidit, vaga fit. Quoniam enim de fundamento positivo agitur, sequi non licet principia iuris publici vniuersalis, sed omnia ad mentem et consilium legum

ram dant, dummodo contractus foeneratio et cambia illicita et a functionibus pontificiis damnata non exerceant, ad magistratus et alias ipsius ciuitatis dignitates admitti possunt. In Lünigii cod.

Ital. dipl. T. II. p. 2158.

gum latorum referenda, et ea tantum normae loco accipienda sunt, quae hi spectarunt, et quae hi bona et salubria, quamvis in se forte perniciosissima, putarunt. Haec autem peculiaria sunt, varia pro varietate temporis, loci, personarum. Quid quod ipse monumentorum et documentorum defectus impediat, quo minus ista ad liquidum perduci possint.

Ab hac itaque parte desperandum est de fundamento iuris germanici communis. Fundamentum enim, ex huiusmodi fonte hauriendum, restringi debet ad singulas ordinationes cambiales, quae gaudent unitate temporis, loci, legislatoris, et sic porro, vbi scilicet, si aliis testimoniiis careamus, ex comparatione singulorum capitum, ex genio totius operis, ex internis rei signis concludi potest, quaenam legislator consilia ratione salutis publicae, in primis commerciorum, fecutus sit, et quid ipse fundamenti loco habuerit.

Nihilo secius tamen sub certis restrictionibus illa principia, quae a iuris publici vniuersalis vel politices disciplina suppeditantur, alicuius usus sunt.

Gau-

Gaudent enim in iure nostro vi quadam subsidiaria, quia legum latoribus illa ante oculos fuisse lubenter statuimus, et quia tamdiu, donec de contrario certo constet, leges istis principiis superstructas esse presumamus. Iam cur fundamentum rigoris cambialis, quamvis tantum subsidiarium, ex isto fonte haurire dubitemus, positum scilicet in iis ipsis, quae tam iuri quam prudentiae vniuersali conformia reperiantur? Hoc fundamentum eiusdem ambitus esset, cuius ipsa disciplina, vnde hauriretur.

Ita existeret ius cambiale naturale, quod in Germania aequa communa esset, ac ipsum ius publicum vniuersale et salutis publicae ad prudentiam reuocata ratio.

§. XIII.

Quibus nescio an satis caute et accurate in paragraphe superiori positis, sequitur;

I. Variis temporibus varia fuisse, quae ad institutum cambiale amplificandum et perficiendum momentum habuerunt; frustraneam ergo esse operam eorum, qui omnia ad unum fundamentum referre studeant.

E 2

2.

2. Ex legum latorum consiliis et sanctione in paucis tantum instituti vim et rationem aestimandam esse; huc enim non redire omnia ea, quibus institutum satum est, et quae prima ipsi incrementa dederunt, quae ideo primaria sunt, et tanquam caput rei faciunt.

3. Natum esse institutum ex eo, quod in libertatis oppignoratione optimum praesidium ad pectorum sanctitatem et incolumentem tuendam maiores nostri inuenisse putarent; adoleuisse autem eo, quod legum latorum consiliis promoueretur et in commerciorum utilitatem ex prudentiae et salutis publicae principiis augeretur et magis magisque exornaretur.

4. A cambiis propriis, non a trassatis, uti cl. Büschivs contra veterum iuris consultorum auctoritatem vult, rem incepisse.

5. Quatenus fundamenta instituti primitus ab usu et consuetudine pendeant, ea ad omnia ciuium genera pertinere, quatenus autem deinceps legum latores ad mercaturae utilitatem respexerint, ea ad mercatores restringenda esse.

§. XIV.

Multa quidem vltiori disquisitioni reliqui; alia autem sua natura accuratius magisque ad unguem definiri

simiri nequeunt. Pleraque enim in nostro argūmento ita comparata sunt, vt ea acutangere frustra tentaueris. Et in meditatione moderatione atque sobrietate opus videtur.

Quarum rerum ratio ex superioribus reddi potest, hae fere sunt:

Si quaeris: cur debitor cambialis ad custodiā teneatur? respondeo: quia ita expresse vel tacite, nomen cambii usurpando, inter partes conuentum est.

Si quaeris: cur creditor ex omnibus, quibus obligationis securitati prospici poterat, praesidiis, carcereis poenam elegerit? respondeo: quia custodiae metum efficacissimum incitamentum ad promissa seruanda putauit, sciens, nil homini carius esse libertate.

Si quaeris: quaenam in legibus ratio illius praesidii reperiatur? respondeo: in eo positam esse, quod legum latores in iure priuato tueri soleant ea, quae partibus placuerint, vel quae usu et consuetudine inventa sint.

Si quaeris: cur legum latores in illis tuendis non substiterint? respondeo: quia officii esse putauerunt, ad rei publicae, in primis autem ad commerciorum

vti-

vtilitates institutum magis adcommodare, eoque con-
filio nonnulla supplere, mutare, restringere, detra-
here.

Si quaeris: quid legum latores secuti sint in il-
lis supplementis, mutationibus, restrictionibus, detra-
ctionibus? respondeo: partim id, quod instituto con-
sequens erat, partim varias opiniones de prudenti
commerciorum moderatione, et de recta salutis pu-
blicae cura.

Si quaeris: quaenam sint istae opiniones? re-
spondeo: eas nec vbiuis, nec omnium, nec quoquis tem-
pore easdem fuisse.

Si quaeris: quid in hac varietate tanquam
norma communis considerandum sit? respondeo: nor-
mam communem, in sensu iuris talem, inde deri-
vari plane non posse; recurrendum potius esse, si cui
res fit cum norma communi, ad ea principia, quae
de salute publica et commerciis harum rerum pe-
riti sua fecere, quippe quae ipsis legum latoribus,
nisi de contrario constet, semper et vbiuis normae
fuisse censenda videntur.

THESES.

THESES.

I.

Constitutio Hadriani, qua thesaurus, in fundo alicuius
inuentus, inter dominum fundi et inuentorem dividi
inbetur, principiis iuris contraria est.

II.

Quoad perfectionem negotii nil interest inter conditio-
nem suspensuam et resolutiuam, bene quidem quo-
ad eius implementum.

III. Li-

III.

*Libertas, scripta prelo committendi, non est restrin-
genda.*

IV.

*Exheredatus in computatione legitimae, si ad nume-
rum liberorum respexeris, ab iis non est exclu-
dendus.*

V.

Seruitus in faciendo confistere nequit.

VI.

*Rationi non consequens est, poenas capitales qualifica-
tas infligi maleficis.*

Kg 4999. 8¹⁰

f



3

56.

KO 17



D E
FUNDAMENTO RIGORIS
CAMBIALIS.

DISSEKTATIO IN AVGVRALIS

Q V A M

AVSPICIIIS REGIIS

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

I N

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

DIE XIV. MARTII MDCCXCV

DEFENDET

NICOLAVS HARTWIGIVS PETZOLDT

BERGEDORFIENSIS.

G OTTINGAE
TYPIS BARMEIERIANIS.

